



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 63. Senatus a Regina convocatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

ante Reginam subsistens eam salutabat, **Sæcul. XVI.**
 quæ etiam accepto aureo poculo Equiti **A.C. 1553.**
 propinavit, illudque eidem dono dedit,
 quod ipse hasta protinus abjecta acce-
 pit, indeque recessit. Hic ritus priscis
 temporibus, cum Angliæ Reges inau-
 gurarentur, religiose servabatur. Cete-
 rum Regina absoluto prandio aliquam-
 diu cum Principum Legatis confere-
 bat, postea vero se se in cubiculum re-
 cipiebat: Illi autem, qui Reginæ col-
 loquio fruebantur, erant Cæfaris, Fer-
 dinandi Romanorum Regis, Maximi-
 liani Regis Bohemiæ Legati, necnon
 Reipublicæ Venetæ, & Cosmæ Floren-
 tiæ Ducis Oratores.

Porro tertia post die quarta Octobris
 diploma promulgatum, vi cuius Regina
 suis subditis subsidiarias pecunias, quas
 Senatus nuper Eduardo Regi ejus fratri
 pro solvendo ære alieno concederat,
 remittebat, qua etiam liberalitate pro-
 ximi Senatus benevolentiam sibi conci-
 liare fatagebat, cum hosce Senatores
 ad Religionem Catholicam in regnum
 revocandam inducere decrevisset.

§. LXIII.

Senatus a Regina convocatus.

Igitur Regina novum Senatum ad diem **Burnet l. 2.**
 decimam Octobris indicit, priusquam **p. 378.**
 vero is congregaretur, Eboracensis Ar- **Sanderus**
p. 306.

R r 4 chie-

Sæcul. XVI. chiepiscopus ad turrim captivus abducitur,
A.C. 1553.

Joannes vero Wefejus ad Exonensem Episcopatum, quem regnante Henrico, ejusque Filio abdicaverat, jussu Reginæ revocabatur. Porro in prima Sessione, quæ eadem die decima Octobris celebrabatur, nulla de Religione occurrebat mentio: cum autem speciali decreto condita fuisse lex *de convictis*, seu statutum, vi cuius quidam de quodam crimine convicti censabantur, ac propterea sub Henrici VIII. Regimine Exonensis Marchionissa extremo supplicio fuerat sublata, hinc Reginæ hanc legem revocari voluit, ac Devoniae Comitem defunctæ Filium pristinis honoribus restitui jussit. His ita peractis proximæ Sessiones a die vigesima prima usque ad vigesimam quartam Octobris prorogabantur, præprioris vero Reginæ præcipiebat, ut rei initium daretur per decreta satis moderata, nec ullo pacto articulatim negotia pertractarentur, nisi primum in proximis Sessionibus, in quibus præterita discuterentur, & futuris provide per remedia sat opportuna consuleretur.

§. LXIV.

Henrici VIII. divortium tanquam nullum, ejusque Matrimonium cum Catharina declaratum ut validum.

Porro